

diendum per eum ad opus dicte Ecclesie donec possessiones ipse inveniantur venales. pariter et emende; quam domum dicti archipresbiter et Capitulum, pro parte ipsius Ecclesie; et quam pecuniam dictus dopnus Petrus Cantor predicto modo custodiendam per eum ab eodem domino Iohanne pipino receperunt et habuerunt, sicut hec et alia scripta publica Inde confecta apertius continent et declarant; verum domo una nobilis viri domini Biscardi de Marra Comestabulis Andrie subscriptis finibus designata utili dicte ecclesie et etiam fructuosa, Inventa venali, pro ipsa pecunia quantitate considerata utilitate ipsius ecclesie dicti archipresbiter et Capitulum una cum discreto viro Sire luca de dopna Bona, dicti domini Iohannis pipini Avunculo et procuratore pro parte ipsius domini Iohannis pipini et ipsius procuratoris notitia et consientia providerunt emenda; Quapropter pacto Initis et concordia Inter eundem dominum Biscardum ex una parte, et eosdem archipresbiterum et Capitulum ex altera de ipsa domo vendenda pariter et emenda. Idem dominus Biscardus, et Angibina. filia Petri de sire Riccardo vir et uxor. eadem mulier a me predicto Iudice legaliter Inquisita et absoluta in tota huius scripti continencia consensu dicti viri sui *etc.* vendiderunt et per fustem tradiderunt eidem dopno Petro. Cantori ementi et recipienti vice nomine et pro parte ipsius Ecclesie cum notitia et consciencia dicti procuratoris ipsius domini Iohannis pipini. domum eandem existentem in pictagio Sante Marie civitatis Baroli et Inter hos fines a duabus partibus iuxta vias a medio pariete iuxta domum Pasce. cum suppino existenti ante ipsam domum ex parte septemtrionis. Ex qua venditione dictus dopnus Petrus pro parte ipsius ecclesie. dedit et solvit eidem domino Biscardo et predictae uxori sue predictas uncias auri duodecim et tarenos quindecim penes eundem dopnum Petrum depositas ut superius continetur, quam pecuniam dictus dominus Biscardus et predicta uxor sua. ab eodem dopno